



## CAPVT I.

*In omni doctrina & artium genere fuisse  
hæreses.*



**A**NTE QVAM ad ipsius argumenti longè quidè vberrimi & utilissimi explicationem aggredior, quædam mihi videntur præfanda, ex quibus tum utilitas huius operis intelligetur: tum variis quæstionibus, quæ in harû rerum tractatione fieri solent, respondebitur, ne quid sit, in quo tanquam in aqua, huius operis studiosus lector hæreat. Ac primùm quidem illud certo certius est, nullum vnquam artium doctrinæque genus fuisse, in quo hæreses aliquæ tandem non extiterint, siue Philosophiam siue Christianam religionem spectemus. Quot enim inter ipsos Philosophos sectæ fuerunt, & in eadem secta quot diuortia & familiæ exortæ, tot proculdubio hæreses diuersæque sententiæ, aliæ ab aliis etiam de eadem re dissentientes, sunt dicendæ. Hoc autem Clemens Alexandr. Stromat. libr. I. verissimè docet his verbis: Cùm vna sit veritas, ait, falsum innumerabilia habet diuerticula, quemadmodum Bacchæ, quæ Penthei membra diuellebant, sic philosophiæ tam barbaræ quàm Græcæ, hæreses. Vnaquæque enim id quod sortita est tanquam totam iactat veritatē, & certè nulla tam absurda fuit vnquam sententia,